

# VII. Bericht

über das

## Progymnasium zu Neumark<sup>w. / pr.</sup>

und die mit demselben verbundene Vorschule

für die Zeit von Michaelis 1878 bis Ostern 1880,

mit welchem zu der

am 23. März, vormittags von 9 Uhr und nachmittags von 2 $\frac{1}{2}$  Uhr

stattfindenden

öffentlichen Prüfung

im Namen des Lehrer-Collegiums


ganz ergebenst einladet

**A. Scotland,**  
Progymnasial-Direktor.

---

### Inhalt:

- 1) De comparationum et translationum usu Sophocleo. Pars II.  
Von ordentlichen Lehrer Lueck.
- 2) Schulnachrichten. Von dem Unterzeichneten.



Neumark, 1880.

Buchdruckerei von J. Köpfe.

1880. Progr. No. 32.



U. S. DEPARTMENT OF AGRICULTURE

# Report of the

Commissioner of the General Land Office

for the year ending June 30, 1880

and the progress of the public lands during the year

under the administration of

John W. Foster, Commissioner

Washington, D. C.

1880

Published by the Government Printing Office

Washington, D. C.

1880

Price, 10 cents

For sale by the Government Printing Office

Washington, D. C.

1880

Price, 10 cents

For sale by the Government Printing Office

Washington, D. C.

1880

Price, 10 cents

For sale by the Government Printing Office

Washington, D. C.

## De comparationum et translationum usu Sophocleo.

---

### *Pars II.*

Quum prima commentationis nostrae particula\*) omnes eas comparationes translationesque quae ex agriculturae rebus a Sophocle petitae sunt comprehenderemus ac perlustrarem, ut quo naturae sensu quoque vitae rusticae poetis multum et saepe celebratae studio imbutus fuisset uberiore quam antea factum erat comparata materia posset diiudicari: temporis angustiis accidit, ut imaginum genus quod arcto quodam vinculo cum illis coniunctum est omittere cogere. Nam ad agricolarum vitam, si opera, si secessum, si totum denique vivendi usum spectamus, proxime accedere videtur vita pastoralis, de qua quid senserit Sophocles iam explanandum videtur. An vero parvi interesse putamus ut cognoscatur quo loco poeta eam vitae rationem habuerit qua adeo semper poetarum animos oblectatos esse scimus, ut totum quoddam poesis genus inde originem acceperit? Immo multum hoc valere apparet ad ingenium poetae pernosendum. Quin etiam mirum videtur quod quum tanta commentationum copia Sophoclis tragoediae tanquam obrutae ac tot de iis quaestiunculae partim satis minutae — quas quidem ego minime despicio — in medium prolatae sint, ut aliae huiusmodi res haud sane indignae quae cognoscantur, ita etiam haec non ea qua par erat diligentia hucusque tractata est. Neque enim profecto qui unus quod sciam rem attigit Eduardus Muellerus\*\*) eam confecisse putandus est quum sola *Ηομηéρον* fragmenta respiceret, alios locos qui huc pertinent et comparationes translationesque e rebus pastoriciis petitas prorsus neglegeret. Accedit quod ne illis quidem fragmentis vir doctissimus ita usus est, ut quid inde colligi posset exponeret, verum de iudicio satis certo omnino desperavit. Nobis autem primum iam eo quod Sophocles tale argumentum tractandum sibi suscepit, si nihil aliud, at certe illud videtur indicari, poetam vitae pastoralis notitiam accuratam aut iam antea habuisse aut ad drama illud componendum sibi paravisse. Qualescunque enim singulae dramatis partes fuere, ex fragmentis:

\*) Neumark 1878.

\*\*) Ueber Sophocleische Naturanschauung pag. 23.

Ἐωθινός γὰρ πρὶν τιν' ἀλιτιῶν ὄραϊν  
 θάλλῶν χιμαίρα προσφέρον νεοσπάδα κτλ. (Dind. frgm. 445.) \*)  
 et τούτοις\*\*) γὰρ ὄντιες δεσπόιαι δουλεύομεν  
 καὶ τῶνδ' ἀνάγκη καὶ σιωπώντων κλέειν (447)

tantum apparet, pastores qui re vera ita sunt appellandi suas in illa fabula partes egisse et rerum pastoralium rationem esse habitam. Cf. etiam frgm. 962 quod Welckerus huc revocavit:

Ψακαλοῦχοι

μητέρες αἰγές τ' ἐπιμασίδιον  
 γόνον ὄρταλίχων ἀναφάινοιεν.

Neque vero notitiam modo harum rerum poetae esse vindicandum ex poematis eius colligi potest, verum etiam quae eius de iis fuerit sententia cognoscitur. Est autem haec diversissima a sententia eorum qui vitam pastorum ut beatissimam praedicarunt et summis oblectamentis exornarunt. Immo eum hoc vitae genus durum et laborum molestiarumque plenum, ut revera est, existimare et ex frgm. 447 supra allato et ex OR. v. 1029: Ποιμὴν γὰρ ἦσθα καπὶ θητεία πλάνης satis apparet. Neque videlicet pastores tanquam optimos et integerrimos homines, ut quibusdam poetis libuit, nobis describit quum OR v. 1117 seq. chorum dicentem facit:

Αἴϊον γὰρ ἦν,

εἶπερ τις ἄλλος, πιστὸς ὡς νομεὺς ἀνήρ,

ubi recte Schneidewinus particulam ὡς limitative dictam esse adnotat.

Sed aliud est vitae cuidam generi falsa et commenticia oblectamenta affingere, aliud attento sensu et animo eas percipere delectationes quae revera insunt. Hoc enim sani et sincero naturae studio imbuti hominis est, illud a naturae simplicitate remotissimi. Quare etiam Sophoclem leni fistulae pastoriciae sono aurem praebuisse docent quae leguntur Phil. v. 212 seq. οὐ μολπὴν συριγγοῦ ἔχων | ὡς ποιμὴν ἀγροβόιας atque eum alias quoque harum rerum non immemorem fuisse ceterarum comparationum translationumque copia testatur, ad quam ut ad peculiare commentationis nostrae argumentum nunc redeundum est. Ac nolo equidem nimium tribuere verborum ποιμὴν (σέ τοι μόνον δέδορκα ποιμένων ἐπαρκέσοντ' Ai. 360) et ποιμαντήρ (νεῶν ποιμαντήρες frgm. 379 v. 10 coni. Heath.) usui translato, qui ad Homerum referendus atque adeo in priore vocabulo satis incertus est; paullo magis iam vividas et luculentas imagines quamquam non omnes unius Sophoclis proprias oculis nostris repraesentant translationes illae quae verbo βόσκειν eiusque compositis et derivatis continentur quaeque partim suavissimae sunt, velut illa quae exstat Ant. v. 1246: ἐλπίσιν δὲ βόσκομαι et frgm. 687: ἐλπὶς γὰρ ἡ βόσκουσα τοὺς πολλοὺς βοσιῶν. Cf. praeterea Ai. 558, Tr. 144, OR. 1425(?), Phil. 313 et 1167, frgm. 144 et 528; γηροβοσκός Ai. 570. Secundum hunc verbi βόσκειν usum explicandum videtur etiam vocabulum βόσκημα in El. v. 364:

(ἔμοι γὰρ ἔστω τοῦμὲ μὴ λυπεῖν μόνον)

βόσκημα

quod non de mero pabulo verum de ea re quae Electram sustentat (cf. versionem Brunckii)

\*) Welckerus in libro: „Die Griechischen Tragödien mit Rücksicht auf den epischen Cyclus geordnet“ pag. 114 nuntium haec proferre supicatur. Satis autem manifestum est pastorem hic loqui tum fortasse nuntii munere fungentem.

\*\*) ,ὁ Σοφοκλέους βοιῆρες ἐπὶ τῶν ποιμνίων' Plut. v. Agid. cap. I.

et erigit et consolatur dictum esse videtur. Haec autem est aegritudo qua afficit Aegisthum et Clytaemnestram. Ceterum locus vexatissimus bene se habere videtur, modo illud *μόνον* a vocabulo *βόσκημα* separet et cum *ἐμὲ* coniungas, id quod factum esse video a Musgravio qui interpretatur: mihi instar pabuli sit, non me dumtaxat, sed alios (melius: etiam illos sc. Aegisthum et Clytaemnestram) angere. Magis quidem perspicua res foret, si scriptum esset *μόνην*. Cf. quae de hoc loco disputavit G. Hermannus. — Sequitur verbum *νέμειν* insigniori imagini non adhibitum. Cf. Ph. v. 709 *τῶν νεμόμεσθ' ἀνέρες ἀλγηστὰί*. El. v. 176 huc non pertinere arbitror (v. tamen Ell. lex. ad. h. v.) Memorandum praeterea vocabulum *ξόννομος* quod OC. v. 340 de uxoribus, El. v. 600 de marito dicitur. Neque in Phil. v. 1436 *ὡς λέοντε συννόμω* prorsus abest translatio, ut Ellendtio videtur. Reiciendum vero est in eiusdem tragoediae v. 1130 seqq.: *ἦ πον ἔλεινὸν ὄρεῖς, φρένας εἴ τινας | ἔχεις, τὸν Ἡράκλειον | ἄθλιον ὦδέ σοι* (distinguas: ὦδε, σοὶ cf. Blaydes. ad h. l.) *οὐκέτι χρησόμενον το μεθύστερον κιλ.*, ubi pro *ἄθλιον* a Dindorfio illatum est. Non minus enim perperam vir doctissimus egisse videtur quam omnes qui servantes adverbium *ὦδε* vocabulum *ἄθλιον* extirpare conati sunt. Est enim prorsus necessarium, ut sit quo illud *ὦδε* referatur. V. de tota hac re editionem Blaydesii, in cuius quod est *ἐταῖρον* pro *ἔλεινόν* ego quoque incideram.

Accuratius vero iam in verbum *προσέμεσθαι*, quatenus huc pertineat, inquirendum videtur. Quod quum in El. v. 1384 seq.:

*ἴδεθ' ὅπον (scr. ἴπως s. ὅπη) προσέμεται  
τὸ δυσέριστον αἶμα φροσῶν Ἄρης*

diu falso explicatum esset (velut a Jacobsio qui diram illam de qua dicitur calamitatem ad exitum appropinquantem comparari vult cum ‚pecoribus inter pascendum progredientibus‘ — at vero lente illa et placide procedunt), tandem G. Wolffius et Blaydesius verbum illud etiam de igne usurpari adnotaverunt. Vellem autem ego quod recte viri doctissimi animadvertentur ad hunc ipsum locum convertissent! Aptissime enim dira quae instat calamitas contenditur cum incendio quod sese diffundit ac promovet. Cf. Ai. v. 196 seq.: *ἄταν οὐρανίαν φλέγων. ἐχθρῶν δ' ἕβρις ὦδ' ἀτάρβητα ὀρμᾶται ἐν ἐνανέμοις βιάσσαις*. Quae quidem explicatio eo magis placet quod etiam OR. v. 190 seq. *Ἄρης* ignis attributis quae vocantur instructus est (*Ἀρεῖά τε τὸν μαλερόν, ὅς νῦν . . . φλέγει με*). Agnoscenda igitur hoc loco metaphora est, ut ita dicam, secundaria, quae a pascendo orta primoque ad ignem\*) conversa inde ad caedam quae paratur hic traducta est. Eiusmodi autem translationes certum quoddam genus efficiunt, quod accuratius aliquando pervestigare forsitan operae pretium sit.\*\*)

\*) Saepius ignem cum belua comparari cognoscas ex Il. XXIII, v. 177 seqq., Aesch. Prom. v. 368: *ποταμοὶ πρὸς δάπτοντες ἀγρίαις γνάθοις*, Choe. v. 325 *πρὸς μαλερὰ γνάθος* aliisque locis.

\*\*) Verba tradita sic distinguenda videntur: *ἴδεθ' ὅπη προσέμεται  
τὸ δυσέριστον, αἶμα φροσῶν Ἄρης*.

Quamquam enim paullo insolentius hoc appositionis genus videtur, tamen haec ratio multo probabilior est quam coniecturae in hunc locum prolatae. Nam ut praeterritam nulla mutatione emendationem meam factam esse, simul ea verbum *αἶμα* exsolvitur attributo quod ferri non potest, licet pro *δυσέριστον* *δυσάλυκτον* (Blaydes. in append. ad. h. l.) aliudve quid in ordinem verborum recipiamus. Suffragatur autem quum maxime scholiasta qui haec habet: *Ὅλον δ' Ἄρης συναγελίζεται αὐτοῖς, φροσῶν αἶμα καὶ φρόνον. Δυσέριστον δὲ, τὸ δὲ ἔριον γινόμενον κακόν*. Ex quibus etiam hunc *δυσέριστον* illud a vocabulo *αἶμα* seiunxisse et pro substantivo habuisse apparet. Quod vero pergit: *τὸ δὲ κακόν* (Brunck. *κακῶν*), οὐχ ὡς κατηγοροῦσά φησι κιλ., non ad aliud verbum, sed ad ipsum illud substantivum *δυσέριστον* mali notione instructum haec retulisse videtur. Quamquam ultima scholiastae verba satis obscura sunt.

Verbo iam admonuisse satis habemus vocabulorum ab ἀλλή, sede pecudum, ductorum (sunt autem ζύρανλος, καιανλίξομαι, ἐνανλίξω, πάρανλος, similia) et ex bestiis quae huc pertinent memorasse χοῖρον in frgm. 217 comparationi adhibitam; equum autem et bovem in prima commentationis particula contemplati sumus. De cane, fido pastoris comite (κίνας βο-τῆρας Ai. v. 297), nulla sumpta esse imago videtur, quae ad res pastoricias referri possit.

Sed omnia haec fortasse levia sunt ducenda prae metaphora illa prorsus singulari multisque explicandi conatibus inde ab antiquissimis temporibus tentata quam explanare iam adgredior. Exstat autem locus de quo dicturus sum in Ai. v. 612 seqq., ubi haec leguntur:

ὄν ἐξεπέμψω πρὶν δῆ ποτε θουρίῳ  
 κραιοῦντι ἐν Ἄρει νῦν δ' αὖ φρενὸς οἰοβώτας  
 γίλοις μέγα πένθος ἤρρηται.

Quo in loco si verborum φρενὸς οἰοβώτας sententiam, quae ex meris rerum pastoralium rationibus petenda videtur, viris doctis probavero, una illa imagine explicata poetam eas res diligentissime observasse evicero. Significari autem illis verbis nihil aliud nisi quod paullo ante dictum est θεῖς μανία ζύρανλος vel quod sequitur (v. 626) νοσῶν φρενομόρος ex totius loci ratione et indole satis perspicitur. Cf. schol.: οὐ σὺν φρεσὶν, ἀλλ' ἐκτὸς φρενῶν διάγων. Minus enim recte Lobeckius, G. Hermannus, alii, de pervicacia Aiadis cogitare videntur, quae verbis ὄν ἐξεπέμψω πρὶν δῆ ποτε θουρίῳ κραιοῦντι ἐν Ἄρει non bene opponitur; nimirum exprimi necesse est Aiadem insania qua correptus est quaeque eum incitavit, ut a sociis discederet, eo esse adductum, ut impetuosam illam qua antea praestiterat fortitudinem deponeret. Jam vero quaeritur quomodo illam insaniam notionem ex verbis istis ducamus. In quo, si primum structuram verborum spectamus, non faciendum videtur cum G. Wolfio qui φρενὸς οἰοβώτας idem esse vult ac si diceretur: φρένα οἶην βόσκων. At φρένα οἶην vel οἶην φρένα βόσκειν per se nihil aliud significare potest nisi aut solam mentem i. e. nihil nisi mentem aut mentem singulam ceterarumque societate carentem pascere, in quibus cur insaniam notio insit minime apparet. Accedit quod nimiae audaciae esse videtur vocabulum οἰοβώτας in duas partes divellere et priorem ad φρενὸς referre; neque illud uno verbo οἰοβονκόλος (Aesch. Suppl. v. 304), quod etiam aliter comparatum est, satis vir doctissimus defendit. Videretur sane, nisi si alia explicatio in promptu esset, eo standum esse, ut Ajax φρένα οἶος βόσκειν dicatur. Quid autem in his foret φρένα βόσκειν? Vix quidquam, opinor, aliud nisi animum sustentare vel adeo erigere et delectare\*), quod ab hoc loco alienum est.

In hac difficultate solus lucem afferre videtur scholiastarum ille qui ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν πλανηθέντων προβάτων καὶ μόνων βοσκομένων vocabulum οἰοβώτας dictum esse adnotat. Cuius quidem interpretationis vim propriam ac prorsus singularem interpretes recentiores (fortasse propter rei ignorationem quam opprobrio iis minime ego verterim) non recte perspexisse videntur. At ei qui res rusticas aliquatenus noverit statim in mentem venire debet, denotari hoc loco morbum ovium creberrimum qui verme quodam (taeniam, quae etiam Graecis noterat, plerique esse existimant) in cerebro insidente efficitur. Ubi is irrepsit, oves sese a ceteris segregant solaeque vagantur, simul in gyrum circumferuntur et tanquam insaniam signa

\*) V. quae de verbi βόσκειν usu metaphorico supra disputavimus.

edunt, postremo miserrima tabe absumuntur.\*) Quin etiam hodie oves eo morbo correptae ab agricolis ut mente captae designantur.

Jam igitur Ajax quum *οιοβώιας* s. solus se pascens idque *φρενός* s. ab animo dicatur, similitudine ab ovibus ex cerebro laborantibus adscita ipso illo verbo insaniens compellatur, id quod in hunc locum unice quadrare manifestum est. Qua quidem interpretatione recepta videsne quam commode iam genetivus *φρενός* cum vocabulo *οιοβώιας* sese coniungat? Servat enim propriam suam potestatem ex qua rem significat unde aliquid proficiscitur vel generatur nec dissimile genus loquendi est eius quod Ai. v. 183 seq. invenitur in verbis: *οὔποτε γὰρ φρενόθεν γ' ἐπ' ἀριστερά, παῖ Τελαμῶνος, ἔβας*. Cf. praeterea genetivi usum in *κακῶν δυνάλωτος* (OC. 1723), *φίλων ἄκλαντος* (Ant. 848), *φρενῶν κεκομμένος* (Aesch. Ag. v. 479), similibus, de quibus v. Buttm. § 132 adn. 27. Si vero quis in eo offendit quod vocabulum *οιοβώιας* reflexiva quam vocant potestate instruximus, eum ad Phil. v. 1148 relegamus, ubi vocabulum *οὔρεσιβώιας* (*ἔθνη θηρῶν, οὗς ὄσ' ἔχει χῶρος οὔρεσιβώιας*) eandem vim obtinet. Cf. Nauck. et Blaydes. (feeding on the hills. The accusative plural.) Vid. item quae in adn. ad Ai. v. 604 de adiectivi *ἐνώμας* quamvis ab eo loco alieni potestate intransitiva disputavit Lobeckius. Sunt igitur verba *οιοβώιας* et *οὔρεσιβώιας* a medio *βόσκεισθαι* ducenda.

Neque tamen ego defuturos arbitror qui pinguiora haec esse censeant quique' rus meum me protulisse contendant. At primum ego sic existimo, explicationem rerum quae ad naturam pertinent ab ipsa hac natura petendam esse, non ab aesthetices quam vocant nescio quo praecepto. Deinde autem olim a viro docto audivi quum diceret poetas veteres non tam anxie quam quosdam recentiores devitasse commemorationem rerum quae sensibus percipiuntur et ad communem vitae usum pertinent: id quod maxime in Sophoclem cadere tum luculentissime apparebit quum aliud commentationis meae caput pertractavero quod continebitur omnibus iis rebus, quae ad opera, quae ad artes, quae ad totum denique vitae cotidianae usum referuntur. Postremo autem, quod maximum est, cum aliis Graecae linguae metaphoris perquam usitatis interpretatio mea optime consentit. Memineris velim verba *λύτια* et *λυτιῶν*\*\*\*) a rabie canum creberrime ad hominum insaniam translata, memineris verbum *οἰστρος* compositaque eius quae eadem ab accuratissima animalium observatione profecta de homine dicuntur: nihil iam in nostra interpretatione mirum remanebit. Sed fortasse aliud est quod cum aliqua veritatis specie mihi opponatur. Quid enim? Si oves eo quem descripsi morbo correptae non modo solae vagantur, verum etiam in gyrum circumferuntur: cur poeta non posterius hoc quod multo insignius est secutus verbo *διεῖν* vel simili aliquo usus est ad vocabulum confingendum? Ad quod ego respondeo furores Aiaceis quales inde a v. 51 et 232 alibique describuntur iam sedatos esse et in tranquilliores insaniam formam abiisse. Cf. v. 193 seqq., 256 seqq. etc. Adhuc autem choro Ajax insanire videtur, cf. v. 608 seqq. et Schneidew. adn.

Itaque quum illud *φρενός οιοβώιας* ab omni parte bene se habere comprobaverimus, non modo coniecturas larga manu effusas (v. Blaydes. ad h. l.) supervacaneas reddidimus, verum

\*) Testes huius rei omnes excito et rusticos et medicos veterinarios.

\*\*) *λύτια* quoque quam appellabant Graeci vermiculo quodam sub lingua canis habitante concitari putabant. Cf. Plin. h. n. 29, 5, 32. Atque etiam mirum est quod nemo hic de rabido cane cogitasse videtur, cuius in primis proprium est ab aedibus recedere et in solitudine vagari. Tum vero poeta fortasse dixisset *οιοβοῖτας*. — Ad aegrotam quidam pecudem etiam Schneidewinus metaphoram retulit, sed hoc minime sufficit.

etiam id effecimus, ut strophae verba satis corrupta (*ἰδαία μίμων λειμωνία ποία μῆλων ἀνήριθμος αἰὲν ἐνῶμαι*) ad metrum antistrophae refingere liceat. De quibus qui omnes virorum doctorum sententias aut comprobans aut confutans pertractare volet, eum haud parvum sane libellum conficere necesse est: nobis pro consilio nostro satis erit adiecisse, non recte eos facere videri qui scripturam traditam aut totam abiciunt aut longius ab ea recedunt. Quamvis enim verba corrupta sint, tamen tria vel quatuor vocabula exstant, quae sententiae perditae qualis ratio et indoles fuerit significare videntur. Sunt autem ea *λειμωνία, ποία, μῆλων* quodque certissima et omnibus fere probata coniectura Bergkii reposuit *ἐνῶμαι*. Quae quidem verba quum notionum quasi cognatione quadam inter se coniuncta sint et invicem se tueantur, plane et dilucide indicare videntur bestiarum rusticationisque hic mentionem factam esse et eorum de malis cubilibus suis conqueri. Quam quidem sententiam ut quisque servatis quantum fieri potest codicis verbis et recte procedente metro aptissime exprimit, ita proxime ad verum accedit. Quod quis maxime hucusque sit assecutus\*) diiudicare non meum est: tantum monere liceat verbum *ἐνῶμαι* arctissime coniungendum esse cum iis quae praecedunt *λειμωνία ποία μῆλων*, utcumque haec scribenda erunt. Nam etiam illud chorus in malis suis numerat quod bestiarum (ovium) more humi iaceat. Haec igitur, ut unde egressa est eo disputatio redeat, metaphora in illo verbo agnoscenda est, ut non sit, cur cum M. Seyfferto simul de castris militaribus cogitemus. Sed haec quidem haec.

Jam enim postquam totam, ut nobis videmur, comparisonum et translationum ex agricoliarum pastorumque rebus petitarum copiam effudimus et uberiores ad iudicium de Sophoclis erga has res studio exercendum materiam suppeditavimus, passimque nostram de hac re sententiam inseruimus, sequitur ut ad genus quoddam imaginum transeamus quod ex aliis vitae communis rationibus profectum est. Quod quum plerumque a poetis procul haberi soleat, tamen dignum videtur quod diligentius pertractemus. Etenim si de ingenio poetae recte iudicare volumus, non modo quid cum ceteris commune habeat, verum etiam quo differat considerandum erit. Jam vero quum plurimi poetae id agant, ut animos nostros a cotidianis hominum studiis et a communi vitae consuetudine avocent ideoque earum rerum quae eo pertinent memoriam defugiant: apud Sophoclem comparisonum quidem et translationum inde desumptarum genus latissime patere atque etiam in deliciis habitum esse demonstrabimus. Quod quum breviter iam attigerit Ed. Muellerus\*\*), tantum abest ut aut totam materiam exhibuerit aut iudicium ab omni parte profectum de ea re exprompserit, ut accuratorem disputationem meam quam instituere in animo est non inutile fore sperem. Praeterea huius viri commentationem ego tam egregiam existimo, ut si quid ad eam vel comprobendam vel augendam vel — utinam hoc mihi contingat — corrigendam afferre potuero, in lucro hoc ponendum ducturus sim.

Monet autem vir doctissimus, inveniri apud Sophoclem imagines venustas ac prorsus singulares quae ab artibus, imprimis fabrorum lignariorum et ferrariorum, desumptae sint.

\*) Non male, si sententiam spectamus, locum sic constituit G. H. Mueller (progr. Wongrowitz 1876 p. 6 seqq.): *Ἰδαίη (coni Bergk.) μίμων λειμωνίη ποία μῆλων ἀνήριθμος αἰὲν ἐνῶμαι κτλ.* Praeferendumne *Ἰδαίη πῖ* (i. e. ad Idam s. prope Idam) et ut pes irrationalis ne coniectura inferatur: *λειμωνία πόαν τε (λειμωνίη πόαν τε?)*, in quibus *πόαν μῆλων* non ipsum sit pratium verum ager alius qui ovibus depascitur? Sed de singulis hic certū quidquam vix affirmaverim.

\*\*) l. l. pag. 34, adn. 100.



Quarum significat hasce quas infra apponimus:

- Trach. 767 seqq.: . . . προσπιτύσσειται  
 πλευραῖσιν ἀρτίκολλος, ὥστε τέκτονος,  
 χιτῶν κιλ.  
 ibd. 699: (μορφῇ μάλιστα εἰκαστὸν), ὥστε πρόνοος  
 ἐκβρώματ' ἂν βλέψεις ἐν τομῇ ξύλου.  
 frgm. 307: τοῖς μὲν λόγοις τοῖς σοῖσιν οὐ τεκμαίρομαι,  
 οὐ μᾶλλον ἢ λευκῇ λίθῳ λευκῇ σιάθμῃ.  
 frgm. 421: ἴσον μετρώων ὀφθαλμὸν, ὥστε τέκτονος  
 παρὰ σιάθμην ἰόντιος ὀρθοῦται κανών.

His praemittit vir doctissimus Ant. v. 413 et OR. v. 1196 (fortasse menda typographica sunt), ubi nihil eiusmodi invenio, et adicit verborum *ξύμμετρος*, *ξύμμετρεῖσθαι*, similitum usum esse creberrimum ac saepe prorsus singularem. In quibus quam multa desiderantur eaque vel maxime eximia, quae iam addenda sunt! Ac primum quidem de verborum *ξύμμετρος* et *ξύμμετρεῖσθαι* usu quid statuendum sit explorandum videtur. Legitur autem OR. 84: *ξύμμετρος ὡς κλύειν*, ubi de lignarii mensura iam non cogitandum; ibd. 1113:

. . . . ἐν τε γὰρ μακροῦ  
 γήρα ξυνάδει τῷδε τάνδρῳ σύμμετρος,

ubi fortasse propter verbi *ξυνάδειν* societatem, ut imago servetur, illud *σύμμετρος* ad cantus numeros modulusque referendum est; Ant. v. 387: *ποία ξύμμετρος τύχη*; verbum *ξύμμετρεῖσθαι* coniunctum cum *χρόνω* exstat OR. 73 et ibd. 963. Similiter usurpatum est simplex verbum *μετρεῖν* OR. 561. Sequuntur comparationes plenae a Muellero omissae:

- El. 98 seqq. . . . ὅπως δρῶν ἑλοιοῖμοι,  
 σχίζουσι κύρα γονίῳ πελέκει.  
 frgm. 745: . . . εὖ γὰρ καὶ διχοστατῶν λόγος  
 σύγκολλα τὰμφοῖν ἐς μέσον τεκταίνεται.

Fortasse etiam huc pertinet verbum *σιαθμάσθαι* OR. v. 1110, quamquam idem de pendendo dicitur.

Non minor copia est imaginum ex arte et rebus fabri ferrarii petitarum. Sunt vero hae:

- Ai. 648 seqq.: . . . ἀλίσκεται  
 χῶ δεινὸς ὄρκος καὶ περισκελεῖς φρένες.  
 καγὼ γὰρ, ὅς τὰ δεινὸν ἐκατέρονον τότε,  
 βαφῇ σίδηρος ὤς, ἐθελώνθην στόμα.  
 Ant. 474 seqq.: . . . τὸν ἐγκραιτέσσιον  
 σίδηρον ὀπιὸν ἐκ πυρὸς περισκελεῖ  
 θραυσθέντα καὶ χαγένια πλεῖστ' ἂν εἰσίδοις.  
 frgm. 742: λάμπει γὰρ ἐν χρεῖαισιν ὡς περ εὐπρεπῆς  
 χαλκίς.  
 frgm. 761: ὀργῇ γέροντος ὥστε μαλθακῇ κοπίς  
 ἐν χειρὶ θήγει (?), σὺν τάχει δ' ἀμβλύνεται.

Plenis hisce et consummatis imaginibus addimus similia minora sed ea satis insignia a ferramentis et exacuentis et hebetandis desumpta: *γλωσσα τε θη γ μ ε ν η* Ai. 584, ἢ δ' δ ξ υ -

θηκτιος ἤδε βομία περίξ κτλ. (?) Ant. 1301, τὸ σὸν στόμα . . . πολλὴν ἔχων στόμωσιν, δξῦναι στόμα Trach. 1176, καταμβλύνων κέαρ OR. 689. Cf. praeterea usum verborum μαλάσσειν (Ai. 594 al.), μαλθάσσειν, μαλθακός, cui contrarium est σκληρός, quamquam haec iam tenuiora videntur. Aeque huc pertinent vocabula ἐντριβής (Ant. 177), παλιντριβής (Phil. 448), ἐπίτριπιος (Ai. 103). Ad cultiorem denique iam aeris fusorum artem spectat λίγδος in frgm. 33: ἀσπίς γὰρ ἡμῶν λίγδος ὡς πικνοματεῖ.\*)

En satis magna sane copia imaginum summo studio et accuratissima rerum cognitione descriptarum! Quae quidem tam insignes sunt, ut mirandum meherecule non sit, quod Ed. Muellerus\*\*) poetam puerum in officinis Sophilli patris multum esse versatum indeque memoriam artium illarum tam vividam retinuisse suspicatus est. Nam quum alicunde Sophoclem eam scientiam percepisse necesse sit ac disertis verbis traditum sit patrem eius illas artes (fortasse per servos cf. Muell.) factitasse, sane non est quod illi opinioni officiat.\*\*\*) Quamquam ego in eiusmodi coniecturis summa cautione utendum esse existimo. Quare iam mihi alia imaginum genera huic affinia percensenda videntur, quo generatim magis et universe de tota hac re iudicari possit.

Proinde adsis, quaeso, nobis, dea Ἐργάνη (frgm. 724), et propitia manu si quae alia e regno tuo deprompta sunt nobiscum communices. Ac primum quidem de carminanda lana sumpta sunt: πέτροισι καταξανθεῖς Ai. 728; ἡδὲ ξανῆσαι καὶ προγυμνάσαι χέρα frgm. 450, ζάσμα (sec. Dindorf. in Trach. v. 838 pro γάσματι restituendum). Deinde ad artem texendi spectant: πάντα δ' ἐρίθων ἀραχνῶν βριθεῖ frgm. 269; περιώσι' ἄφνικιά τε μήδεα παντοδαπῶν βουλῶν ἀδαμαντίναις ὑφαίνεται κερκίσιν Αἴσα frgm. 604, quamquam num imago haec elegantissima Sophocli sit tribuenda ambigitur. Memoratur praeterea σπαθῶν et ἀσπάθητος frgm. 849. Optime autem tandem Nauckius quae leguntur Ant. v. 39 seq.: τί δ' ὦ ταλαίφρον, εἰ τὰδ' ἐν τοῦτοις, ἐγὼ Λύονσ' ἂν ἢ γάπιονσα προσθείμην πλέον; ad texendum retulit. Neque vero debuit verborum traditorum ordinem immutare, ut legatur: ἄπιονσ' ἂν ἢ λύονσα. Namque si illa quam constituit metaphora agnoscitur, prorsus recte se habet praepositio ἐπί verbo ἄπειν praefixa. Est enim ἐγάπιονσα ‚adnectens‘ sc. telae, tela autem significatur quidquid de Polynice agitur. Dicit igitur Ismena haec: Quid vero . . . aut solvens s. retexens aut telae attexens i. e. aut omittens aut faciens ego proficiam? Lepide poeta hoc modo Ismenam, ut est ingenio muliebri, ex sua tanquam provincia imaginem repetentem facit.†) Aliter comparata esse videntur quae leguntur Ai. 1317: εἰ μὴ ξυνάψων

\*) Insigne etiam est quamquam non tralate dictum quod legitur Ai. 820: (σφαγεὺς) σιδηροβοῶτι θηγάνη νεκρονής. — ἀροφύσιον memoratur frgm. 824. Cf. etiam frgm. 724 adn.: τὴν γὰρ Ἐργάνην οὔτοι μόνον θεραπέυουσιν, ὡς φησι Σοφοκλῆς, οἱ παρ' ἄκμονι τυπᾶδι βαρεῖε καὶ πληγαῖς ὑπεκοῦουσιν ὄλην ἄψυχον δημιουργοῦντες.

\*\*) l. l. p. 34 adn. 100.

\*\*\*) Praeter Muellerum ad h. l. conferas Rehdantz. ad Dem. π. τ. εἰρ. § 15, ubi de re consimili in hunc modum disputatur: „Zu den technischen Wörtern gehören auch die aus der Palästra hergenommenen Metaphern. Sie rufen mit Einem Strich ein volles Bild hervor, und diese Bilder einer bedeutenden, zugleich höchst anschaulichen und erinnerungsfrohen Lebensthätigkeit sind dem Hörer zugleich klar und angenehm. Wer liebte nicht die Metaphern seiner Schulzeit?“

†) Animadvertendum est, Sophoclem in effingendis imaginibus diligentissime personarum ad quas pertinent naturam et indolem observare. Velut verba ὄδης et ὄδνεῖν quantumvis a propria significatione remota nisi de feminis non usurpat. Cf. Trach. 42 et 325, Ai. 794. Aeschylus hoc minus diligenter curavisse videtur. V. Suppl. 770.

ἀλλὰ συλλύσων πάρει. Neque reliquis locis quibus verbum ἄπειν compositave eius (ἐφάπειν προσάπειν) occurrunt insignior imago conspicitur. Unum igitur, si originem spectamus, vocabulum ποιήλος cum compositis restat quod aliquo modo huc referri potest.\*) Ex reliquorum artificum numero memorantur λαίτσιοι cum instrumentis λείαι et γλαρίδες frgm. 477.

Jam quum aliorum — quod mirum videri potest — operum et artificiorum ratio habita non sit, res confecta foret, nisi ex parte quadam pro aetatis suae ratione etiam artem medicam Sophocles huc retulisset, quae haud mediocrem imaginum copiam poetae praebuit. Quam quidem artem in duas partes abire ei visam esse, quarum altera χειροτεχνία, altera superstitiosis illis ἐπιδάϊς contineretur cognoscas ex Trach. v. 998 seqq.: . . . τόδ' ἀκήλιον μανίας ἄνθος . . . . Τίς γὰρ ἀοιδός, τίς ὁ χειροτέχνης ἰατρίας, ὃς τήνδ' ἄτην χωρὶς Ζηρὸς κατακλήσει; Eandem autem rationem comparationes translationesque sequuntur. Quorum quum permagna multitudo verbis ἀκόμαι, ἰᾶσθαι, νοσεῖν horumque substantivis, compositis derivatisque efficta sit, quae facile in lexicis Sophocleis invenitur, ne spatii concessi fines transeamus, luculentiores tantum hic apponimus:

- Ai. 581 seq.: . . . οὐ πρὸς ἰατροῦ σοφοῦ  
 Θρηγέτην ἐπιδάϊς πρὸς τομῶντι τραύματι.  
 ibd. 1255: καὶ σοὶ προσέειπον τοῦτ' ἐγὼ τὸ φάρμακον  
 ὄρω τάχ'.
- OC. 1194: φίλων ἐπιδάϊς ἐξεπείδονται φύσιν (?)  
 frgm. 98: . . . πάντα κἀνθρώπων νοσεῖ  
 κακοῖς ὅταν θέλωσιν ἰᾶσθαι κακά.
- fgm. 514: ὅστις γὰρ ἐν κακοῖσι θυμωθεὶς βροτιῶν  
 μείζον προσάπειει ἢς νόσον τὸ φάρμακον  
 ἰατρὶς ἐστὶν οὐκ ἐπιστήμων κακῶν.
- OR. 1395 seq.: . . . οἷον ἄρά με  
 κάλλος κακῶν ὑπουλον ἐξεθρέψατε,

de quibus bene G. Wolffius in adn. Vocabulum ὑπουλος invenitur etiam in frgm. 952. Cuius simile est ἔλκος metaphorice positum Ant. 652, frgm. 544 et 807. Advertenda praeterea vocabula παιῶν et παιῶνιος in Phil. v. 167 seq. οὐδέ τι ν' ἀνιῶ παιῶνα κακῶν ἐπινομᾶν et Trach. 1208 seq.: — ὦν ἔχω παιῶνιον Καὶ μόνον ἰατῆρα τῶν ἐμῶν κακῶν, quibus in locis non de solo morbo verum de universa Philoctetae et Herculis condicione cogitandum est; ἀκίως ἀπαιῶνας frgm. 469. Ad artem magicam cum medicina illis temporibus arcte coniunctam spectant Trach. 1140: τίς τοσοῦτος φαρμακεὺς Τραχινίων; et 1142: τοιῷδε φίλτροφ τὸν σὸν ἐκμήγαι πόθον. Quarum rerum quantam copiam censemus suppeditare potuisse fabulam Ῥιζοτόμων, si servata esset! V. frgm. 479—481 et Welckerum (Die Griechischen Tragödien etc.) p. 342 seq. Ad veram autem medicorum artem pertinent vocabula σύριγξ Ai. 1412, ἀρηγρία Trach. 1054, φλέψ Phil 825, ἀδαγμός ἀντίσπασιος Trach. 770, σπασμος ibd. 805 et 1082. — Ulcera curantur ἡπίοισι φύλλοις Phil 698. — Sed haec sufficient.

\*) Cfr. Curtii Etym. pag. 164 s. r. πιξ, ubi Latinorum quod est 'acu pingere' et Skt. pēḡas et pēḡas-kāri de tela et textrice dicta comparantur.

Jam enim recondita illa paucorum hominum disciplina relicta pergendum videtur ad strepitum fori et nundinarum omnesque commercii et mercaturae res quibus civitatem Atheniensium imprimis floruisse compertum habemus. Quamquam igitur sermonem cotidianum imaginibus inde ductis non vacasse consentaneum est, tamen non inutile erit vel unius poetae orationem eo consilio percensere ut quantum illis rebus tribuerit cernatur. Licet enim singulae metaphorae usu tritae quasi ultro in eam redundaverint, satis tamen magnus numerus restat imaginum quae cum studio et industria a poeta delineatae sunt. Praeterea autem numerus quoque earum respiciendus est.

Priusquam vero tota copia in conspectu ponatur, certis finibus materia circumscribenda videtur, ut quid eo pertineat, quid segregandum sit, inde appareat. Ac primum quidem vereor ne errore in poetae orationem irrepserit translatio illa quae in Ai. v. 978:

(ὦ φίλιαι' Αἴας, ὦ ξύναιμον ὄμι' ἐμοί.)  
 ἄρ' ἤμπόληκας, ὅσπερ ἢ φάτις κρατεῖ;

hucusque agnosci solebat. In quibus quod est ἤμπόληκας (alii ἤμπόληκά σ' quod nihili est nec consentit cum illis quae sequuntur ὅσπερ ἢ φάτις κρατεῖ) quum interpretes sufferant et a mercaturae rebus translatum censeant, omnes μὲν ψήφω<sup>6</sup> condemnandi videntur, quare singulorum sententias perstringere supersedeo. Nego enim ac pernego Teucrum tum primum ad fratris carissimi exanimatum corpus accedentem frigidissima illa metaphora uti potuisse quam viri docti deprehendere sibi videntur. Namque qui metaphora utitur, eius animo sine dubio illam regionem et tamquam provinciam ex qua petita est observari necesse est: num vero credemus primo fratris defuncti aspectu Teuceri animum nescio quibus mercatorum teneri negotiis? Nec sibi ipse constaret — mox enim omnibus lamentationibus eum commiseratur — et omnino contra naturam humanam faceret. Talis quidem translationis fortasse excusatio esset, si metaphora tam vulgaris tamque usu trita esset, ut omnino non sentiat. Quod loco nostro ita se habere ne ii quidem contendunt qui ut interpretationem suam exemplis confirmarent Aesch. Eum. v. 631: ἀπὸ στρατείας γὰρ νῦν ἤμποληκότα Τὰ πλεῖστ' ἀμείνον' κιλ. vel Hippocr. de morb. IV. 12. p. 608 Εἴη τῶν ἀπολάτων μὴ διαχωρέοντιος κρατεῖ μία τῶν ἄλλων ἱκμάς, κάλλιον ἐμπόλησει ὁ ἄνθρωπος accessiverunt. Longe enim alia et significatio et tota locorum indoles est. Aptiora vero talis translationis exempla non afferuntur. Quare ego quamquam sane non is sum qui poetae orationem ad cotidiani sermonis tenuitatem detorquere velim verum semper studia mea quantulicunque sunt ad explicanda potius quam ad damnanda mutandave verba eius attuli, tamen hanc metaphoram hoc loco procul habendam esse pro certo affirmare non vereor.

Jam vero quid loco difficili et obscuro faciemus? Nolebam equidem in hac commentatiuncula quae aliud sequitur viris doctis in his rebus volutatoribus coniecturas meas inculcare: tamen breviter dicam quod sentio. Requiritur autem hoc loco nihil aliud nisi verbum moriendi notione praeditum et ante oculos positum et disertis verbis pronuntiatum est a Dindorfio qui dicit: „Manifestum est idem hic dici debere quod Teucer infra 1026 dicit ἐξέπνευσας“. Quod ipsum quum longius a literarum traditarum ductu absit, ego commuto cum verbo eiusdem notionis rariore et revera poetico, ita ut legam:

ἄρ' ἐμπέπηκας (sc. τὴν σαντιῶ μοῖραν), ὅσπερ ἢ φάτις κρατεῖ;

Apte ita et, ut par est, verecundanter et cum euphemismo quodam in talibus rebus usitato

(cf. M. Seyffert. ad h. l.) Teucer interrogat: Ergo implevisti fatum, ut fama obtinet? Exemplum huius verbi *ἐμπιπλάναι* usus invenitur Plat. legg. XII. p. 959 C. *ἐμπιπλάνια τὴν αὐτοῦ μοῖραν*: consimile est *ἐκπιπλάναι* Herod. III. 142: *Πολυκράτης μὲν νῦν ἐξέπλησε μοῖραν τὴν ἑωυτοῦ* et apud Homerum *ἀναπιπλάναι* (II. IV. 170: *πότιμον ἀναπλήσης βίοιοιο*). Omissionem obiecti ex indole linguae Graecae esse vix est quod moneam; cf. verbum *τελευτᾶν* et permulta alia. Ac potest quidem *ἐμπέπληκας* illud casu in *ἡμπόληκας* depravatam esse: sed ego aliter de vitii origine iudico. Illud quod restitui *ἐμπέπληκας* primum sive errore librarii sive quod non intellectum est corruptum erat in *ἐμπεπόληκας*, hoc autem correctoris\*) manu mutatum est in *ἡμπόληκας* quod hoc et metro convenientius et usitatius augmento instructum est. Cf. *ἐξημπόλημαι* Ant. 1036. Aesch. Eum. 631.

Ita autem quum ex splendida illa translationum tanquam corona flosculum decerpserimus, pergratum nobis accidit, quod alio loco metaphoram multo elegantiore servare possumus. Legitur enim Ant. 1156 seqq.:

οὐκ ἔσθ' ὁποῖον σιάντι' ἂν ἀνθρώπον βίον  
οὐτ' αἰνέσαιμι' ἂν οὐτε μεμψαίμην ποτέ.  
τύχη γὰρ ὀρθοῦ καὶ τύχη καταρρέπει  
τὸν εὐτυχοῦντα καὶ τὸν δυστυχοῦντι' αἰεί.

In quibus quomodo explicanda essent verba *σιάντι' ἂν βίον* interpretes inter se dissensere. Et postquam explicationem Musgravii, qui *σιάνια βίον* esse vult ‚superstitem vitam‘ exposuit G. Hermannus, ipse iungens *ὁποῖον σιάνια* ‚quaecumque stet vitae conditio‘, in quibus notio verbi *σιάνια* non satis comprobata est, aliique alias interpretandi vias ingressi sunt: eo iam ventum est, ut Nauckius *σιάντι' ἂν* ‚sine dubio‘ falsum esse censeat. Atqui illud *σιάνια* prorsus verum et genuinum est, modo imagines naturam recte perspicias. Satis autem notum est, verbum *ισιάναι* etiam de pendendo dici solere, quod quidem ex eo ducendum est quod librae lanceas, simulatque pondera imposueris, nisi altera tota deprimitur, primo quidem sursum deorsum feruntur, deinde vero prorsus exaequatis ponderibus ad consistendum adducuntur (*ισιανταί*), qua in re omnis pensatura vertitur. Intellige igitur *σιάνια βίον* vitam adhuc in trutina consistentem i. e. vitam, cuius *ῥοπή* nondum facta sive quae nondum finita est. Dicit igitur nuntius, nescire sese qualem vitam tum temporis sive felicem sive infelicem aut laudet aut vituperet, priusquam mors adsit. Itaque etiam nos interpretamur ‚superstitem s. durantem vitam‘, sed aliter ac Musgravius qui non modo imaginem non illustrat, verum etiam iniuria ad Solonis dictum illud notissimum, ‚neminem durante vita ob felicitatem praedicandum esse‘ relegat. Neque enim hoc cogitatione supplendum est, verum nuntius intelligit, post mortem demum de uniuscuiusque vita, utrum beata magis quam misera fuerit, recte iudicari posse. Hoc enim oppositis *αἰνεῖν* et *μεμψεσθαι* iisque quae sequuntur efficitur.

\*) Haud sane haec tam confidenter ponerem, nisi alia talium mutationum vestigia in tragoediis Sophoclisprehendisse mihi viderer. Ac luculentissimum quidem exemplum semper mihi visum est quod legitur OC. 1584: . . . (ὡς λελοιπότα) *κεῖνον τὸν αἰεὶ βίοτον ἐξεπίστασο*. In quibus illud *αἰεὶ* a G. Hermanno, Hartungio, Nauckio, aliis damnatum nec tamen probabiliter correctum residuum esse apparet ex *αἰεκή* quod pro *αἰκῆ* Sophoclis manu scripto ordini verborum insertum, deinde vero, ut metro satis fieret, mutilatum est. Quare legendum *τὸν αἰεκή βίοτον* (Hartung *αἰνὸν βίοτον*, Nauck *ἄβιον βίοτον*). Hoc enim ad Oedipi vitam miseram eoque indignam in primis aptum est.

Nostram autem interpretationem veram esse omnes concedent qui saepius a Sophocle ad vitae rationem et ad mortem describendam imagines de trutina adscitas esse satis meminerint. Cf. OC. v. 1508: *ζοπή βίον*, OR. 961: *σμικρὰ παλαιὰ σώματα' ἐνθάξει ζοπή'* aequae de vita, sed paullo aliter dicta sunt Trach 82: *ἐν οὖν ζοπῇ τοιῷδε κειμένω*, agitur enim vita Herculis. Ante omnia autem comparanda est praestantissima illa imago quam Lobeckius et Ellendtius (alter alterius coniecturam ignorans, cf. Ell. I. s. v. *πλάσιγγ*) restituerunt in frgm. 964: *διὰν δὲ δαίμων ἀνδρὸς ἐντυχοῦς τὸ πρὶν Πλάσιγγ'* (ap. Stob. *μάσιγγ'*) *ἐρείση τοῦ βίου παλίνοροπον* (Meinekii *παλίνοροπον*). — Auspicatur igitur poeta et quodammodo praeparat hac translatione maiorem illam in v. 1158 seq. comparisonem item de pensando sumptam: id quod alibi quoque eum facere cognosci potest ex Ai. v. 649, ubi vid. adnot. Schneidewini v. *περισκελεῖς* appositam (ed. VII.), cf. Ant. 291: *κρυφῇ κἄρα σείοντες*. Cf. etiam ad h. I. G. Wolffium, qui idem versus illos una imagine contineri animadvertit, ipsam imaginis rationem perspectam non habet; vertit enim illud *σιάντα*: während es (noch aufrecht) steht.

Elegantissimam hanc translationem poetae vindicatam commode excipiunt ceterae similitudines a trutina, principali mercatorum instrumento, petitae. Praeter eas autem quas exempli gratia supra apposui inveniuntur haec: El. 118 seqq.: *μόνη γὰρ ἄγειν οὐκείῃ σωκῶ λύτης ἀντίροπον ἄχθος*, de quibus cf. Curt. Et. p. 170 (s. r. *ἀγ*). Ellendtius addit Ant. 34: *τὸ πρῶγμ' ἄγειν Οὐχ ὡς παρ' οὐδὲν* et OR. 784 (*δυσφόρος*) *τοῦνειδος ἦγον*, ubi imagines insigniores non sunt. Blaydesius conicit *ἄγειν μυρίον ἄχθος* in Phil. v. 1168. Plenior similitudo est frgm. 926a: *ὡς μήτε κροῦσης μήθ' ὑπὲρ χεῖλος βάλης* (*ὑπὲρ χεῖλος* Porsonus, codd. *ὑπὸ χεῖρα* et *ὑπὸ χειρός*, Hesychius *ὑπὲρ χεῖλος*). Alia sunt: El. 571: *ἀνίσιαθμος*, OR. 1111: *σιαθμᾶσθαι* (?), Ant. 135: *τανταλωθεῖς* (cf. Erf.), ibd. 722: *ῥέπειν*, frgm. 499: *λεπταῖς ἐπὶ ζοπήσιν* (?) *ἐμπολὰς μακρὰς Ἄει παραρρίπτοντες* (Meinekii *ῥιπίσιν*). Eodemne redeunt *παραρρίπτειν* (aliter dictum in frgm. 499) OR. 1493 (extra lancem ponere, nihili pendere?) et Ai. 475 seq.: *Προσθεῖσα κἄναθεῖσα τοῦ γε καίθανεῖν*;? Reliqua etiam incertiora sunt.

Praeterea e commercii mercaturaeque rebus desumptae sunt imagines magis generales:

Ant. 1034 seqq.: . . . . *κοῦδὲ μαντικῆς*  
*ἄπρακτος ὑμῖν εἰμι τῶν δ' ὑπαὶ γένους*  
*ἐξημπόλημαι κάκπεφόρισμαι πάλοι.*  
*κερδαίνει', ἐμπολάτε τὰπὸ Σάρδεων*  
*ἤλεκτρον, εἰ βούλεσθε, καὶ τὸν Ἰνδικὸν*  
*χρυσὸν κτλ.*

Trach. 537 seqq.: *παρειςδέδεγμαί (sc. κόρη) φόριον ὥστε νατίλος*  
*λωβητὸν ἐμπόλημα τῆς ἐμῆς φρενός.*

frgm. 756: *Ῥογὴν ἔθου καὶ πρᾶσιν, ὡς Φοῖνιξ ἀνήρ,*  
*Σιδώνιος κάπηλος.*

frgm. 635: *ὡς καπηλείου θύραι.*

Phil. 511 seqq.: *ἐγὼ μὲν τὸ κείνων κακὸν τῷδε κέρδος*  
*μετατιθέμενος,*

ubi vid. adn. Schneidew. Cf. omnino usum creberrimum verborum *κέρδος* et *κερδαίνειν* gravioresque translationes quae verbis emendi et vendendi continentur. Sunt autem hae: Ai.

477: οὐκ ἂν πριαίμην ὄυδενός λόγου βροτόν (Nauck. et Madvig. ποιόμην), Ant 1170 seq. τᾶλλ' ἐγὼ καπνοῦ σκιᾶς Οὐκ ἂν πριαίμην. Phil. 417 οὐμπολητός Σισύφου Λαερτιάφ, Ant. ἐμπολήσων τὴν φρένα, Trach. 93: κέρδος ἐμπολῆ, Phil. 579: (τί με κατὰ σκότον) διεμπολῆ λόγοισι, frgm. 517 διεμπολώμεθα, Phil. 978: οἴμοι· πέπραμαι (κἀπόλωλ'). Vocabulum technicum videtur etiam verbum ἵεναι in frgm. 717: τὸ κέρδος ἤδὲ κἂν ἀπὸ ψευδῶν ἴη, cf. προσιέναι Herod. III. 89, Thuc. II. 13, al. Generale suum de mercatorum per maria navigantium (ποντοναῖται cf. Ell. s. v.) vita aerumnarum mutationumque plena iudicium poeta exponit frgm. 499.

Quid autem, ud iam ad finem veniam, ex omnibus istis colligimus? Equidem audacioribus de poetae vita coniecturis quales interdum proferuntur hic abstineo, praesertim quum reliqua comparationum translationumque genera, quamquam dudum a me collata sunt, nondum in conspectu posuerim: tantum vero iam nunc perspicuum videtur, eum esse Sophoclem poetam, qui non modo interiorum reconditarumque sententiarum copia et subtilitate excellat, verum etiam omnes res quae in sensus cadunt quaeque ad communem huius vitae usum pertinent intentis oculis observaverit et poesis lumine illustraverit, qua in re cum uno comparari potest Goethio. Neque talia cognovisse et exemplis probasse inutile est.

Heu vana hominum consilia! Totam iam commentationem confecturus, quin etiam alia adiuncturus iterum particulam tantum perexiguam conscribere potui! Hoc autem eo magis doleo, quod satis incertum est, quando futurum sit ut reliqua emittere liceat. Quare iam hic potiores quosdam locos ad quos vel explicandos vel emendandos occasione oblata aliquid conferre conatus sum indicabo:

In partic. I.: Ant. 826 (?) pag. 8 et 9, Trach. 396 pag. 11 et 12 (ibd. schol. in adn. I.), Ai. 61 pag. 12 et 13, Phil. 163 pag. 14 et 15.

